



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XXV. Israëlitarum profectio per deserta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

nim, quã fugiebant illi, conjunctisque denuo fluctibus; Canchres Rex, & quotquot tempestas cœlestis reliquos fecerat, cum omnibus bellici furoris instrumentis, apparatusque, sepulti sunt, Arabici finis voragine, ne nuntiò quidem tantæ cladis superflite emergente. Hebræi enatantia cadavera læti spoliârunt, armatique detractis, quæ proxima nocte formidârant, telis, salutem ex inimicis induerunt; loricas illas, & galeas, ac thoraces ferreos in sui tegumenta vertentes, quæ fornaces olim Ægyptiæ procuderant in eorum exitum. Secutum est epinicium, Mose quidem viris, *Mariã* vero Mose forore, suo sexui præcinentibus. Hic finis Cenchræ fuit Pharaonis; Regis quondam Ægyptiorum; exagitatoris Hebræorum; contemptoris magni DEI; ludificatoris divinæ voluntatis; contumacium omnium exempli singularis; & hodie Tartaræ fornacis incolæ: cujus ille sempiternos ad ignes, descendit, Ægypto comite, medias per undas. Enimverò sentit nunc, qualem laceffiverit Dominum. Jacet æternum perditus, & cum illo jacebunt, quicumque putant, se posse illudete Divis.

NAR. XXV.

ISRAELITARUM  
PROFECTIO PER  
DESERTUM, ET MIRABILIA DEI IN  
EOS BENEFICIA.

Exodi 15. 16 17. Anno M. 2544. ante Ch 1509.  
Anno primo ab exitu ex Ægypto.

For-



**F**ortuna levis est: leuius cor humanum. Nuper exoptata nauseat, & non pridem fastidita requirit. Post siccum Maris Erythraei transitum, cum triduo integrò nulla potabilis aquae fieret copia, venerunt Hebrœi ad locum (nomen est *Mara*) undis quidem divitem, sed quarum amarities, sitientium elusit desiderium; unde querulum exortum est murmur; cui compescendo Moses certi generis lingnum à DEO ostensum immitit in aquas, easque momentò reddit dulces, & gustatu suaves; siue vis ea nativa fuerit ligni, hæcenus ignorata, siue tumprimùm ad præsentem usum à Deo indita.

Unum jam mensem in itinere faciendo, & comestum absumpserant, cum infelicitatis suæ cum priore fortuna, quam sibi stolidè finxerant, & inopia, cum copia contentione, in improbas iterum querelas & minas, adversus Mosen & Araonem, duces suos, prorumpunt malè domita capita, reposita cum expostulationibus ollas carniū in Ægypto relictas, flagellorum & diræ servitutis proterve obliiti Apellæ. Quorum murmuratio cum ipsum pugnaret in DEUM, is tamen quasi aliquò provocatus obsequiò, non necessitati tantùm alimenta, sed gulæ quoque delicias subministrat, convolante tanta vi coturnicum, ut tertium in mensem omnimoditudo sufficerent.

Nec eo munere contenta Divina Liberalitas, suavissimum ex æthere manna effudit, in pruinae modum, per omnem castrorum circuitum latè terram obtegentis, quod siue elixum cacabis, siue frixum in furnis; siue incoctum etiam, seu crudum, neque



fractum, ut quemvis desiderabilem proborum palato saporem repræsentabat: sic impijs murmuratoribus, in pœnam & nauseam cessit, sili quas & fursura se mandere credentibus; adeò lingua maledica gustum omnem perdiderat. Concurrebant in eo cibi prodigio complura miranda; nam dimensum in singula quotidie capita, cœlitus præscriptum, (Hebræis *Gomor* Græcis *chœnix*) erat commune viro, pueròque; neque plus colligere poterat manus avarior; neque minus, parcior; esca nec servanda in diem posterum, nisi putridam vellent: nec æstuantem sole relinquenda in agro, quippe calore diffluxura? sexto quovis die cadebat copiosior, etiam in septimum seu Sabbathum suffectura; idque per annos omnino quadraginta; totò nimirum peregrinationis Israëliticæ, per deserta, tempore. Et tamen inventæ sunt fauces, quæ nauseabant has delicias. Ægyptio cucumere, peponèque corruptæ.

Vix ea seditione compositâ; quis credat, aliæ super alias sunt exortæ. Nam cùm progressi, castraque metati in regione *Raphidin* penuriâ laborarents aquæ dicam, an hauriendæ è DEO fiduciæ; rursus ad superba jurgia, & impias adversùs cæleste Numen querelas convertuntur; erant in medio beneficiorum divinorum cursu, quibus diu noctûque fovebantur; erant in clara luce miraculorum, quæ omnium perstringebat oculos; illi tamen pro eo, demissis ut à cælo precibus siti remedium efflagitarent, tumultuosis vocibus Mosi lapidationem intentant, nisi mox aquas unde unde eliceret; insolentiâ suâ, Divinæ quoque præsentia ac gubernationis, tot jam prodigijs demonstratæ experimentum capturi. Meruisset

H

set



set hæc linguæ protervia, siccas ut intra fauces con-  
 tabesceret, nisi cum perduellium contumacia mo-  
 luisse certare DEI clementia, beneficijs odia per-  
 sandô. Percutitur igitur Numinis jussu petra *Pe-  
 tra*, eâ ipsâ virgâ, quâ Moses potentiam, cœlo ter-  
 ræque dominantem, sæpius jam per prodigia palam  
 fecit. Et ecce! erumpit latex non minore limpi-  
 ditate, quàm copiâ, sitimque simul & obmurmura-  
 tionem extinguit.

Hanc cœli gratiam statim consecuta est alia, quan-  
 do in Arabiam Petræam delati, *amalecitarum* fines  
 attigerunt. Erant ij ab *amalece*, Esavi nepote, ori-  
 undi; quorum rex partim inveteratô in Jacobi po-  
 steros odiô, ob præreptam patris *benedictionem*, partim  
 metuens populationem agris; excitâ oppidatim ju-  
 ventute, petentibus transitum, negavit; quòd si ar-  
 mis viam sibi aperire cõnarentur, sperabat integris  
 viribus, & recenti milite, se fessos itineribus & com-  
 meatuum inopiâ, facile superaturum. Qua re per-  
 exploratores Moses cognitâ, fortissimum quemque  
 bellatorum deligit, iisque *Iosuen* seu *Iesum* imperato-  
 rem præficit, aleamque pugnæ committit. Ipse  
 cum fratre *Aarone* & *Hure*, Mariæ sororis marito, a-  
 scendit collem montis Horebi, procumbit in preces  
 extentis cœlo brachijs. Conferitur interea præli-  
 um; mira res! pendet victoria ab inermi. Vin-  
 cit Hebræus, levante manus in altum Mose; suc-  
 cumbit, succumbente precantis habitu. Aaron i-  
 gitur & Hur sustentant fatigati Ducis brachia simul,  
 & victoriam; quæ cum die finem habuit, Amale-  
 citis cum suo rege fusis, fugatis, trucidatis, & optimis  
 inde spoliis relatis. DEO victoriæ datori exstru-  
 et



cha ara parata sacrificia, beneficij memoria dicata; Amalecitarum omnis posteritas, decretò Numinis, diris & cædibus devota. Usque adeò severa vindicta incumbit illis, qui in eos, quos DEUS in oculis habet, crudelitatem exercent, quemadmodum Amalecitàe Hebrææ genti innoxium transitum petenti ferrum & furorem obiecerunt.

NARRATIO. XXVI.  
 LEGISLATIO DECA-  
 LOGI. ADORATIO VITULI-  
 AUREI ULTRICES GULOSORUM POE-  
 NÆ; ET MARIÆ, SORORIS MOSIS.

Exodi. 19. 20. 24. 32. 24. Numer. 11. 12. 20. An.  
 M. 25.44. & 2545. 2575. Ante Ch. 1507.  
 1508. & 1478.

**M**otis ex Horebo castris, ad montem ubi Sinam confederunt Hebræi, Moses interpres & internuntius inter DEUM & populum, ascendit in jugum, accipitque responsa Numinis, quibus gens Israëlitica in peculiarem favorem deligitur, & adoptatur, magnis adjunctis promissis, si vicissim obsequia, fidemque spondeat. Quod omnium mox consensu, verbis magis præstitum, quam factis. Sub hæc constituti per circuitum montis termini, ultra quos, pœnâ mortis propositâ, non progredi, consistere liceret. Fortè mirabitur quispiam, suam à DEO legem, inter tonitrua terroresque promulgatam. Verùm uti necesse est,

H 2 amor